



R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Compectens Metaphysicam, id est, Scientiam de Ente incorporeo, seu
transnaturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

XV. Diluuntur obiectiones quædam aduersùs doctrinam præcedentem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95247](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95247)

autem est ratio quarumvis aliarum relationum, si sint mutua; sin autem non mutua, maior, vt decursu tractatus huius clarebit.

193 Quarto denique; quia *fundamentum proximum vnius relationis est terminus opposita*: at in Paulo fundamentum proximum relationis ad Petrum, ea si sit similitudinis, est albedo, sin autem filiationis, eius substantia, prout à Petro Genita, adeoque aliquid absolute: hoc ergo erit etiam terminus eius relationis, qua Petrus denominatur similis Paulo, eiusue patris. Maior, & est axioma commune, vt testatur, P. Hurtadus suprà §. 61. & à P. Suarez n. 18. & 19. optima suadetur inductione: atque in hunc modum breuiter potest ostendi: quod satis est, vt Paulus sit filius Petri, vtue ei sit similis, hoc sufficit, vt contra Petrus sit eius pater, eique similis: vti non amplius requiritur, vt obiectum aliquod sit actu cognitum à portetia, quam vt hæc illud cognoscat: quod ergo in Paulo fundat relationem similitudinis, aut filiationis ad Petrum, hoc est sufficiens cumulatæque ratio terminandi relationem Petri ad se, eiusque paternitatem, aut similitudinem alternam, oppositamque.

194 Altera nostræ, ac verioris sententiæ pars, nimirum omnem relationem prædicamentalem terminari etiã ad connotatiuum, siue ad alteram quandam relationem, suadetur ita, omnis relatio vel est mutua, vel non mutua: eam autem quælibet terminatur alia relatione: omnis ergo. Posterior quidem; nam si qua de causa non esset ita terminata, maxime quia eius ex aduerso non est vlla alia relatio, & v.g. in scibili non est vlla relatio ad scientiam, quæ huius possit esse terminus, alioqui relatio scientiæ, & scibilis foret mutua; item in Deo non est vlla vera, ac realis relatio ad creaturas, merito cuius earum relationes possit excipere: At hæc ratio nulla est, nam superius capite primo satis ostensum est, quatenus non tantum scientia ad scibile, sed hoc ad illam; nec creaturæ duntaxat ad Deum, sed hic ad eas referantur realiter ac strictè: insuper quo pacto relationes scientiæ, & scibilis, Dei, & creaturarum nihilominus dici possint non mutua, ac reciprocatæ quodammodo expertes: huiusmodi ergo relatio quævis poterit alia quadam terminari.

195 Quod autem prior etiam relationis species, videlicet ea, quæ est mutua nunquam non intueatur aliam relationem velut terminum, est probatu multo facilius: haud enim potest excusari relationis alterius ei ex aduerso respondentis inopia, sicuti solet, cum disputatur de priori. Probatu ergo talem in modum: Id est terminus relationis prædicamentalis, cum quo connectitur essentialiter, sed paternitas & filiatio v.g. connectuntur essentialiter inter se inuicem, fierique etiam diuinitus nequit, vt vna reperiatu vnquam sine alia: altera ergo est terminus alterius. Nihil est in toto hoc syllogismo, quod probationem desideret præter maiorem illius propositionem: ea ergo ostenditur ita. Relatio iuxta omnes est nexus quidam, siue connexio extremorum: quod ergo connexionis, id etiam relationis est terminus: at id cum quo connectitur essentialiter relatio prædicamentalis eius connexionem terminat: ergo & ipsam. Tum etiam cognitionis terminus intencionalis, siue obiectum, est id, cum quo illa connectitur intentionaliter, & vt aiunt, in esse cogniti: terminus ergo physicus relationis prædicamentalis erit id, qui cum ea connectitur physice, & quod dici solet in esse rei. Item, qui Deum putant referri transcendentaliter, ac verè ad creaturas possibiles, & has, quod perinde est, eius esse relationis terminum, haud alia de causa id tuentur, nisi quia Deus connectitur essentialiter cum creaturis, non existentibus quidem, ac certè prout in potentia logica,

siue non repugnantia: qui contra eiusmodi relationem terminatam creaturis Deo negant, nullum non lapidem mouent, vt Dei cum illis connexionem essentialem impugnent: omnes ergo terminum connexionis essentialis, relationis etiam, si qua est, terminum esse supponunt: vnde in præsentia, &c.

196 Neque non suadetur idem institutum principale ita: terminus paternitatis v.g. est id, cuius aliquis denominatur pater, vt superius constitutum est, probatumque exemplo cognitionis, cuius terminus est obiectum illud, cuius dicitur potentia cognoscens, & representans: At Petrus est pater filij sui, & non solius eius hypostasis: quocirca cum filius sit quidpiam connotatiuum, hoc necesse est, vt terminet relationem paternitatis, & quamvis aliam saltem mutua: de qua in præsentia sermo. Maior vnà est proposita probataque. Minor videtur sponte sua manifesta: eamque egregie tradit Aristoteles in prædicamentis cap. 7. *Vniuersa, quæ sunt ad aliquid ad ea dicuntur: quæ conuertuntur, seruus enim heri dicitur seruus, & herus serui dicitur herus, & duplum dimidij duplum, & dimidij dupli, dimidij dicitur, & in cæteris simili modo.* Et inferius; atqui interdum, & nomen facere necesse est, si positum nomen ad quod accommodata fuerit assignatio non sit, cen si clauus nauigij assignabitur non accommodata sit assignatio: non enim eo clauus ipsius dicitur, quo nauigium est; sunt enim nauigia quorum clauus non sunt. Sed forsitan accommodatior assignatio fuerit, si clauus clauati clauus, aut aliquo alio simili modo dicatur: non enim positum nomen est. Atqui conuertitur si accommodata fuerit assignatio: clauatum enim clauo est clauatum. Idem fuerit, & in cæteris modis: veluti caput accommodatius fuit assignatum, si capiatur caput, quam si animalis esse dixerimus: non enim eo caput habet, quo animal est, cum plura namque animalium capite vacant, &c. Quid his luculentius.

197 Quod toto hoc cap. dictum est, relationem omnem esse ad absolute, necnon ad connotatiuum, ad illud quidem, quia, qui Dominus est v.g. alterius quatenus homo est, Dominus est, & seruus pariter alterius hominis est seruus: ad hoc verò, quoniam dominationis relatio, & seruitus connectuntur inuicem, & altera nequit intelligi sine altera quod satis est, vt vtralibet referatur ad aliam;) Platonis est in Parmenide sapientia: En eius verba: *Si quis nostrum alicuius Dominus, aut seruus sit, non ipsius Dominus, quod Dominus est seruus existit, nec ipsius serui, quod seruus est Dominus est, qui Dominus dicitur: sed hæc vtraque est tanquam homo: Ipsa vero dominatio seruitutis ipsius existit id, quod est, & ipsa iterum seruitus eodem modo ipsius dominationis est seruitus: nec ea, quæ nobis insunt ad illa, nec etiam quæ illic insunt ad nos referuntur: (vtrique posteriori modo) sed vt dixi ipsa sui ipsorum & ad seipsa sunt: Et, quæ hic sunt similiter ad seipsa respiciunt.*

C A P V T X V.

Diluuntur obiectiones quedam aduersus doctrinam præcedentem.

198 **A**duersus priorem nostræ sententiæ partem obiciens primo, Prius natura homo aliquis est genitus ab alio Socrates, verbi graua, à Sophronisco, quæ ille sit huius filius, quandoquid talis filiationis fundamentum proximum est substantia vnius prout ab altero generata: Vel ergo pro eo priori Sophroniscus est pater Socratis; atque ita prius natura erit pater,

ter, quam Socrates filius : vnde eiusmodi relatiua non erunt simul natura, quod tamen, & est euidenter falsum, cum euident sit, vt quod maxime pro eodem naturæ instanti, quo quis est pater, alium quempiam eius esse filium & e conuerso; & etiam contra Aristotelem cap. 7. de relat. *At vero ea que sunt ad aliquid, simul natura esse videntur. Atque in pluribus quidem vera est hæc sententia quibusdam autem vera non est, simul enim duplum est, & dimidium: & si est dimidium, duplum est, & contra: & si seruus est, herus est etiam: similiter & in cæteris: quæ autem heri & serui, dupli, & dimidij, eadem esse debet patris, ac filij ratio quoad similitudinem naturæ, vt per se patet, vtque omnibus est in confesso. Vel propterea pro illo priori naturæ signo, quo intelligitur genita, & existens substantia Socratis, & quidquid in eo est absolutum, Sophroniscus tamen non est eius pater; atque ita, nec Socrates vllam terminat iam tum paternitatem: huius ergo terminus formalis, ac ratio terminandi non est quidpiam absolutum, sed potius relatiuum: tum quia intelligitur Socrates cum omnibus suis prædicatis absolutis, quin terminet eam relationem, aut possit, ea ergo ad terminandi officium minime sufficiunt: tum etiam, quia idcirco veritas transcendentalis rei est terminus formalis cognitionis ratione terminandi sub qua, quoniam pro priori naturæ ad illam res non cognoscitur, nec quoadusque censetur ea affecta: at pro priori naturæ ad filiationem substantia genita Socratis, & quod est in eo absolutum nequaquam terminat relationem paternitatis; huius ergo terminus formalis, siue ratio terminandi est filiatio dumtaxat, & non Socratis absoluta substantia.*

199

Admitto secundam dilemmatis partem, ac do pro priori illo naturæ signo, quo intelligitur substantia Socratis genita à Sophronisco, nec hunc esse eius patrem, nec illum terminare relationem paternitatis. Verum hinc in primis tantum sequi posset terminum adæquatum, & sufficientem paternitatis, alteriusque cuiusvis relationis similis haud esse sola rei prædicata absoluta, secus tamen quod termini partialis rationem non obtineant: Nobis autem satis, superque est, ita si possint terminare. Deinde ne hoc, quod nos non veremur admittere, quodque Scottista, & alij negant eo conuincitur argumento.

200

Fac enim; quod est absolutum in Socrate esse terminum adæquatū paternitatis, nec alterius consortium petere, aut pati; profecto id verū erit tamen si pro priori illo signo naturæ toties inculcato Socrates non terminet actū paternitatis Sophronisci: qua ratione veritas, vt exemplo argumenti insista, illudque retorqueam, est totalis terminus formalis, & vt quo nostra cognitionis; & tamen pro priori signo rationis, quo res est, vera non cognoscitur, sed pro alio posteriori, quando ideo quidem res cognoscitur, quia est quoddam ens verum, & non e conuerso: Quamobrem vt res non cognoscitur pro priori, quo est veritate prædicata, non quod hæc non sit sufficiens, & adæquata ratio terminandi cognitionem, sed quod nondum sit vlla cognitio; ita pro priori signo, quo intelligitur Socrates genitus à Sophronisco, huius paternitatem non terminat, non quod non sit sufficiens fortasse ratio eam terminandi, sed quod nondum refulserit paternitas: haud enim nisi pro posteriori simul cum filiatione potest, vel soler refulgere. Itaque duæ probationes vltimæ argumenti contrarij, ad quas tandem deuoluitur eius tora vis, & efficacitas, nihii conuincunt non: prima, quia perperam infert substantiam Socratis non esse sufficientem rationem terminandi paternitatem ex hoc, quod illam pro

aliquo priori non terminet actū: non posterior, quia non idcirco veritas est ratio formalis terminandi cognitionem, quia pro priori ad illam res non cognoscitur, nec est terminus cognitionis, sed quia pro eo priori, nec datur potentia proxima ad id munus terminandi, siue ad hoc, vt pro posteriori cognoscatur. Atqui pro priori naturæ ad filiationem, esto Socrates non terminet paternitatem, est tamen in potentia proxima ad illam terminandam, sicuti est in ea, vt fundet, subeatque filiationem.

201

Obiicies secundo. Relatiua sunt simul cognitione, nec fieri potest, vt eorum vnum exacte, & definite cognoscatur sine alio; vt docet Arist. c. 7. de relat. tex. 8. *Ex his igitur patet, si quispiam aliquid eorum, quæ sunt ad aliquid definite scit, simul id ad quod illud dicitur definite sciet.* Postea eodem textu id probat hac inductione: *nam, si quispiam hoc scit definite duplum esse, & id cuius duplum est, continuo definite scit, nam si nullus definite duplum scit illud esse, neque si est duum omnino scit. Similiter & hoc si scit præstabilis esse, & quo præstabilis est, definite ob hæc eadem ipsum scire necesse est, nec indefinite sciet hoc præstabilis esse deteriore: hæc enim opinatio est non scientia; nō enim exacte iam deteriore præstabilis esse scit nam si forte sic accidit, nihil est deterius ipso. Quare patet necessarium esse, vt quicquid eorum, quæ sunt ad aliquid quispiam definite sciat, & id eundem ad quod illud dicitur vt sciat.* Hactenus Aristoteles. Atqui non essent simul cognitione relatiua pater, verbi gratia, & filius si paternitas terminaretur, non ad filiationem, sed ad substantiam filij: nam si hæc sola est terminus paternitatis: ergo ea sola intellecta poterit intelligi paternitas, aliquemue esse patrem: at ea sola intellecta, non intelligitur filiatio ab ea distincta, eamque subsequens: poterit ergo cognosci quem esse patrem, idque perfecte, & exacte, quin cognoscatur eius esse filius: pater ergo, & filius haud sunt cognitio e simul.

202

Verum facile respondeo, non posse distincte, & perfecte cognosci, quem esse patrem nisi cognita cuiusdam alterius filiatione, non quod hæc sit terminus adæquatus illius alterius relationis, sed quod tantum partialis. Rursus; qui ne ita eam terminare volunt, hi etiam non minus facile possunt respondere, similitudinem illam in cognoscendo oriri, non ex eo, quod vna relatio sit terminus vllō modo alterius cum qua simul cognosci debet, sed quod vtriusque causa sit eadem: nam ideo Sophroniscus v. g. est pater, quia substantiam Socratis genuit: at hoc ipsum est causa, quapropter Socrates sit filius: quid mirum ergo, si cognita vnius paternitate à priori, & in sua causa, cognoscatur eo ipso alterius etiam filiatio?

203

Obiicies tertio: relatiua sunt simul definitione, vnumque per aliud oportet definiri vt in verbis Aristotelis paulo superius adductis particulam, *definite*, consideranti clarebit, vtque idem Aristoteles docet in topicis lib. 6. capit. 2. loc. 64. *amplius inquit in his quæ ad aliquid sunt considerandum si ad quod genus assignatur & species ad illud, quoddam assignatur, vt si opinio ad opinatum, & quoddam opinio ad quoddam opinatum, & si multiplex ad quoddam submultiplex: si autem non sic assignatur, manifestum quoniam peccatur: videndum autem, et si oppositio opposita definitio, vt si dimidij ea sit, quæ opposita est, etque est duplicis: nam si duplex est quod inæquali superat dimidium, & dimidij quod inæquali superatur.* Aristot. consentit Porphyrius cap. de gen. his verbis: *quod si etiam genus assignantes speciei meminimus dicentes quod de pluribus, & differentibus specie in eo, quod quid est prædicetur, & speciem dicimus id, quod sub assignato genere est.*

est: nosse oportet, quod, quoniam genus alicuius est genus, & species alicuius est species, utrumque utriusque necesse est in utrumque rationibus utriusque utri. Atqui, si vnum relationum non respiceret aliud velut terminum, haud oporteret ea esse simul definitione, vnumve per aliud definiri: quorsum enim aliquid definiatur per id, quod non respicit, quodve velut terminum non vendicat.

204 Sed respondeo, vnum relatiuum haud oportere definiri per aliud prout tale: ita namque committeretur circulus vitiosus, idemque, tum per aliud æquè ignotum, tum etiam per seipsum explicaretur: v.g. quid vitiosus hac gyratione: pater est, qui habet filium, & filius, qui habet patrem? Rursus haud est magis notum habere filium, quam esse patrem. Præterea ita pater erit, qui habet habentē patrem, adeoque per seipsum declarabitur, quod, quid aliud, quam indeclaratum manere? Et quidem Arist. lib. 5. Metaph. cap. 13. cum definiendi modum aperte improbat in hac verba: *non est autem intellectus ad illud, cuius intellectus est, idem enim profecto bis esset dictum: similiter visus cuiusdam est visus, non cuius est visus, & si verum est hoc dicere, sed ad colorem, vel aliud tale: illo vero modo bis idem diceretur, quod visus est cuius est visus &c.* Aristotelem sequuntur Scotus, & affectus, Hurtadus, & alij recentiores communiter. Ad eius autem locum topicorum, nec non ad locū Porphyrij dico, aut solum voluisse eos vnum relatiuum per aliud non definiri, sed rudi quadam minetua, ac vulgi more explicari; aut certe, si de cognitione exacta, ac definitiua sermonē habuere, id tantū voluisse, vnum relatiuum definiendū esse per aliud materialiter sumptum, ac penes id, quod in recto importat, & quo relationi, aut potius correlationi subiaceret. Addo, ut vñ relatiuum definiatur per aliud, satis esse, si illud respiciat velut terminum inadæquatum, ac partialem, quem terminandi modum ei libenter largior.

205 Obiicies quarto Aristotelem Cap. 7. de relat. ubi sic habet. *Sublatis quidem ceteris vniuersis, quæ accidunt hero, bipede inquam scientia, susceptivo, ac homine: relicto autem tantummodo hero, seruus ad ipsum semper dicitur: seruus enim heri dicitur seruus: quod si non accommodatē ad id, ad quod tandem dicitur fuerit assignatum, ceteris quidem sublatis, eo vero solo relicto, ad quod est assignatum, non ad ipsum sanē dicitur. Assignatus enim sit seruus hominis, atque ab homine herus, auferatur, non ad hominem sanē, seruus dicitur.* Iuxta Aristotelem ergo relatio seruitutis terminatur ad solam relationem dominij, non verò ad substantiam absolutam domini, siue heri: hæc enim sublata, & illa sola manente, subsisteret relatio seruitutis, possetque quis nihilominus denominari seruus: contraque accideret, si maneret eius, qui dominatur substantia, homo scilicet; at sine relatione dominij.

206 Respondeo, Aristotelem eo loci tantum contendere ut quis sit seruus, per accidens esse, quod eius Dominus sit homo, potius, quam Angelus, aut aliud suppositum; eamque relationem, ut sic, quod aiunt, & præcisè sumptam nullam rem absolutam in speciali postulare ex parte sui termini, sed quauis esse cōtentam, dummodo possit esse oppositæ relationis fundamentum: ceterum à relatione seruitutis quatenus tali non excludit omne absolutum, etiam in generali, & vagè sumptum: quin potius illud esse necessarium per locum intrinsecum significat: requirit enim manere dominum, ut sit relatio seruitutis: atqui Dominus quatenus talis duo essentialiter includit, nimirū præter relationem Dominij substantiam aliquam absolutam quæ sit eius fundamentum: quidni ergo ea

possit, ac debeat esse terminus seruitutis?

207 Obiicies quintò relationes Diuinæ non terminantur ad absolutum, sed duntaxat ad connotatiuum: ergo & creatæ; consequentia videtur perspicua: antecedens etiā; nā paternitas, verbi gratia, quæ est primæ personæ Diuinæ proprietas personalis, ac relatiua non terminatur realiter ad substantiam, siue naturam filij; aliās posset ad seipsam realiter referri, ac terminari, cum non distinguatur à natura filij, & hæc potius sit utrique communis: relinquitur ergo, ut relatio illa paternitatis ad solam filiationem, adeoque ad relatiuum quidpiam terminetur.

208 Sed in primis creatarum relationum fundamentum est aliquid absolutum, ut aduersarij etiam habent in confesso, utquæ est persæ, ac spontanea manifestum; at Diuinarum relationum fundamentum non est aliquid absolutum re ipsa, sed potius quidpiam relatiuum: haud enim natura Diuina est quæ opponitur relationi filio, ad eumve realiter refertur, sed sola paternitas: quidni ergo quoad terminos etiam dispar sit ratio nostrarum relationum, atque earum quæ sunt in Deo trino, & vno. Rursus idcirco diuinarum relationum termini sunt itidem relationes quia nulla sunt extrema absoluta in Deo realiter distincta, quorum alia possint fundare ut sic dicam siue referri, alia terminare seu respectibus obijci: hæc autem ratio non procedit in rebus creatis: haud enim paternitas, & filiatio Petri, & Pauli solum distinguuntur, dummodo sint distinctæ, sed multo maxime vtriusque humanitas. Præterea infra constabit, relationes transcendentales multoties terminare ad alias, & non ad aliquid transcendentaliter, atque in eodem genere absolutum: relationes autem diuinæ sunt transcendentales quodammodo, & vel nullo modo prædicamentales, ut aliqui putant, vel certe non physice, ac rigorosè, sed metaphysicè, ac magis late, de quo suprâ tract. primo: haud ergo ad earum terminandi rationem, moremque nostræ sunt exigendæ, haudue ab alijs ad has rectè arguitur. Tandem si quis cum B. Bonau. personalitates diuinas, non relationibus sed originibus constitui censeat, profecto paternitas, esto reipsa terminetur ad relationem filij, at prius ratione ad originem passiuam, qua eius constituitur persona: atque hæc sola erit formaliter eius terminus, illa vero non nisi tantum realiter, & prout cum priori identificata: cum ergo in creatis relatio filij distinguatur realiter (inadæquate saltem) à substantia eius, qui generatur, hæc sola, & non filiatio paternitatem terminabit, si nihil obstat aliunde: nec enim identitas vlla facit, ut officium terminandi, quod vni conuenit ab ea refundatur in alteram.

209 Obiicies vltimo. Vna relatio prædicamentalis refertur ad aliam, ut cum paternitates aliquæ denominantur similes inuicem huius autem similitudinis, ac relationis terminus duntaxat est aliquid relatiuum, non verò absolutum, haud enim est in paternitate tale quidpiam, haud aliquid non relatiuum, cum totum eius esse sit esse ad aliud ritu cæterarum omnium relationum: perperam ergo à nobis est constitutum, omnem relationem terminari ad absolutum. Verum, ut ab hoc vltimo incipiam, nobis satis est, si relatio terminetur ad aliquid absolutum, quorū ex parte alterius extremi inuenitur aliquid non relatiuum, sed ab omni potius relatione liberum. Et quidem hæc moderatio nostræ si adhibeatur sententiæ, ea nequaquam premetur argumento facto.

210 Deinde ad illud dici potest, paternitatem vnam respectu alterius ad se terminatē esse quid absolutum, tamen si

tamen si introitu suppositi sui quidpiam relatiuum: quamobrem vtriusque similitudinem absoluto terminari. Declaratur: similitudo illa, quæ obicitur in argumento, terminatur, non ad aliam similitudinem præcisè, sed ad eius fundamentum, videlicet paternitatem alteram: hoc autem est, eam terminari aliquo absoluto, estque quod à nobis asseritur, & negatur ab aduersariis. Tandem obiici possunt nonnulla eorum quæ cap. præc. à nobis adducta sunt parum ab eius medio: at iis non est quod immoremur, quippe quæ non impugnant priorem nostræ sententiæ partem, sed tantum propugnant posteriorem.

211 Aduersus quam obieciæ primò. Haud pauca relationes sunt non mutæ, vtpote creaturarum ad creatorem scientiæ ad scibile: at nulla harum terminatur ad relationem aliam: haud enim eis respondet ex aduerso alia, cum Deus non perinde referatur realiter ad creaturas, sicuti hæc ad illum, nec scibile ad scientiam, sicuti è conuerso: alioqui relationes eiusmodi forent mutæ contra quam philosophorum, ac theologorum schola pene omnis supponit: iniuria ergo constitutum est, relationem omnem terminari ad relatiuum quidpiam.

213 Respondet Caietanus Deum etiam referri realiter ad creaturam, quamuis per modum in hac, non vero in illo existentem; & scibile similiter ad scientiam. Verum hæc solutio suprà cap. primo satis est impugnata: vteriusque confutatur, quia ex ea fieret, nullam relationem prædicamentalem sitam esse in modo, qui termino, ac fundamento superueniat, sed potius in vtriusque complexione omnem consistere: quemadmodum enim creator realiter, ac prædicamentallyter refertur ad creaturam, & scibile ad scientiam per modos sibi extrinsecos, quidni etiam vna albedo v.g. referri queat ad aliam per eam, quantumuis sibi extrinsecam, seque ipsam ad summum, circumscripto quocunque modo?

214 Alij apud P. Suarez respondent, in Deo esse relationem dominij, & creatoris, non realem at certe rationis, eamque terminare relationes creaturarum ad ipsum: paremque esse considerationem scibilis comparari ad scientiam, & cuiusvis alterius relationis non mutæ. Contra tamen: quia quin intellectus noster fingat aliquam relationem in Deo, ad eum referentur nihilominus creaturæ: eiusmodi autem illarum relationem haud excipiet relatione rationis, quippe quæ nulla est, nec reali, vt aduersariis est in confesso, ergo aliquo absoluto. Quin etiam, tamen si intellectus noster fingat aliquid inlat dominij, creatorisue in Deo, non ob id referetur ad eum creaturæ respectu seruitutis, aut originis, ac dependentiæ, sed propter perfectionem suam absolutam, qua esse in eas influit: ea ergo, & non relatio rationis erit ratio terminandi relationem creaturarum. Atque hæc ratio secunda manifestè conuincit eos, qui ad relationem rationis in Deo, non actuale, sed potentialem confugiunt: quid enim interest nos fingere posse, & & comminisci aliquid in Deo, vt ad illum creaturæ habeant ordinem realem, ac prædicamentalem? Facit etiam aduersus eosdem, si nullus esset intellectus creatus, & facultate fingendi præditus, creaturas nihilominus irrationales, & brutas ad Deum prædicamentallyter relatum in.

215 Parum, ac non nisi solis vocibus differt à priori solutione, alia, qua vtitur Fonseca. Ait enim, quemadmodum homini, quin actu existat, actu tamen conuenit esse animal, ita Deo relationem rationis actu conuenire, quin actu existat suo modo, hoc est obiectiue in intellectu, siue, quin actu fingatur, quia videlicet semper potest fingi. Sed difficultates superioris solu-

tionis hanc eodem ariete prosterunt, vt expendenti constabit. Nominibus etiam contraquam superior abutitur: nam re vera homo, cum non existit, non est actu animal, sed potius nihil, cum actus, & existentia, si rectè intelligantur, in idem recidunt: de quo larius suprà lib. 2. tract. 1. Melior ergo argumenti solutio est: Deum referri realiter ad creaturas, & scibile ad scientiam: quæ duo, quam vera sint, quamque cohæreant cum diuisione relationis in mutuam, ac non mutuam, suprà cap. primo, & postea satis manet declaratum.

Obiiciens secundo: paternitas v. g. & filiatio haud sunt realiter distinctæ, sed potius ambæ realem habent identitatem, cum complexione fundamenti, & termini, adeoque eam sortiuntur inter se inuicem; quæ namque sunt eadem vni tertio, sunt idem inter esse: ergo paternitas non terminatur ad filiationem: nihil enim potest ad seipsum terminari: nihil non est terminus alterius cuiusdam: sane in Deo propterea distinguitur realiter paternitas à filiatione, quoniam altera refertur, ac terminatur ad aliam: ergo in rebus creatis, aut distinguuntur inuicem, quod tamen nequit admitti, aut certe neutra terminatur ad aliam: quo fit, male à nobis constitutum esse nullam relationem non terminari ad connotatiuum.

217 Respondeo: quemadmodum aliquid suimet obiectum ac terminus intentionalis esse potest, cognitione videlicet aliqua in semetipsam reflectente, vt inferius lib. 7. tract. 11. probandum est, ex sententia Patris Ruiz de Montoya, & aliorum; ita etiam non est, quæ propter aliquid sui terminus phylicus, ac prædicamentallyter esse nequeat: adeoque paternitas ad filiationem, quantumuis à se realiter indistinctam & secum eandem poterit terminari, eamque è conuerso terminare. Rursus, terminari ad aliquid, est ad illud, vel quidpiam referre, vel ipsummet referri: at quamuis paternitas non referatur realiter ad filiationem, quæ est vtriusque identitas, ac realis indistinctio; ceterum ad eum refert substantiam Patris; quippe quæ ab illa distinguitur realiter inadæquate illiusque saltem in concreto, ac simul cum substantia geniti pater est: hic enim respectu filij talem subit denominationem. Quod adice, paternitatem connectere quodammodo substantiam Patris cum filiatione; ita, vt supposita priori illa relatione, nequeat etiam diuinitus substantia paterna existere sine posteriori: hoc ergo ex titulo filiatio poterit esse terminus paternitatis.

218 Vterius: vti paries v. g. est albus, vt quod, ita albedo est eo ipso alba vt quo: heri ergo nequit, vt substantia patris referatur realiter ad filium, adeoque filiationem in eo inuolutam, quin ad eam referatur, vt quo paternitas: at hoc pacto semper refert vnam relationem ad aliam nobis sufficit ad hoc, vt nulla vnquam non terminetur ad aliam quodammodo: & quidquid sit, an hoc modo vnam relationem terminari ad aliam sit improprie terminari, vel non, certe tantum est quod controuertitur in præsentia: nisi vero quis velit nihil interesse inter has duas quæstiones, an relatio terminetur ad connotatiuum? & an vt quod, & realiter referatur ad aliam possit? quo tamen nihil absurdius, cum nullus auctorum vnquam earum quæstionum non secernat ab alia, ac velut diuersam non pertractet. Hinc constat ad exemplum diuinarum relationum: haud enim distinguuntur realiter, quia vna terminatur ad aliam aut etiam quia altera refertur, vt quo, & secundum quid ad alteram, sed quoniam referuntur inuicem proprie, & vt quod, sic, vt alia sit fundamentum realis habitudinis ad alteram; & non sola ratio referendi fundamentum aliud: In

In creaturis autem aliter se res habet. Adice postremo, ubi semel relatio prædicamentalis sit realiter à fundamento, & termino distincta, & paternitas v.g. sit vnus modus, & filiatio alius, nullam huic argumento vim subesse: ea ergo saltem ex hypothese nostra sit opinio vera.

219 Obiicies tertio: relatio prædicamentalis resultat ex positione fundamenti & termini; atque vtrumque veluti se prius siue causam quodammodo supponit: v.g. similitudo vtramque albedinem, quas contendit, cum ideo sint similes, quia datur vna, necnon alia: paternitas substantiam genitoris, necnon etiam geniti, actionemque præteritam &c. At non resultat vna relatio ex alia, nec vna præsupponit aliam: haud enim est prius albedinem A esse similem albedini B. quam è conuerso: haud etiam antecedit paternitas filiationem, aut hæc illam: tum, quia relatiua sunt simul natura, vt per se patet, vtque ex Aristotele supra probatum est: tum etiam, quia alioqui admitenda esset mutua prioritas in relationibus: quo enim nomine similitudo albedinis B. est prior similitudine albedinis A, eodem hæc debet illam antecedere, cum ex æquo se terminent: & quo ex titulo filiatio est anterior paternitate, eodem etiam hæc antecedit filiationem: quæ, cum ita sint, videtur fieri non posse, vt vna relatio sit terminus alterius. Hoc argumento Scotistæ vicem Thomistis rependunt, & qui ab his vrgetur similitudine naturæ correlatiuorum propria, eadem eos vrgent, atque haud leuius, quantum opinor. Cui tamen respondeo, quod dici solet relationem prædicamentalem resultare ex positione fundamenti, & termini, intelligendum esse de termino absoluto, non verò de relatiuo, quemadmodum etiam qui arguunt, effectum illud accipiunt de fundamento, non prout relatio, sed prout est quidpiam absolutum relationi præuium. Qui autem negant relationem omnem terminari simul relatiuo, & absoluto, & potius terminum absolutum nulli non relationi denegant, quid hi respondere possint argumento, ipsi viderint.

220 Obiicies quartò, & præcedens confirmabis argumentum. Ideo Petrus v.g. est pater Pauli, ad eumque refertur, quia eius ab illo est substantia genita, non verò, quia Paulus est eius filius, alioqui ideo etiam hic esset eius filius, ad eumque referretur, quia ille est eius pater, quo fieret relatiua haud esse simul natura, eaque potius esse mutuo priora, & posteriora, quorum vtrum sit magis absurdum, haud facile diiudicatis: Paulus ergo penes suam substantiam genitam, & id quod est in eo absolutum, est ratio terminandi, siue terminus formalis paternitatis, non verò penes relationem filij: quo pacto obiectum formale visionis nostræ, siue, quod iuxta est, eius terminus formalis, aut ratio terminandi non est paries secundum se, sed color, quoniam non ideo videtur paries, quia est paries, sed quia coloratur.

221 Respondeo, vi huius argumenti hoc tantum conuinci, filiationem v.g. non esse terminum formalem paternitatis, quatenus hæc refert patrem ad substantiam filij: haud enim ideo eum ad hanc refert, quia hæc filiationi subest: Cæterum quatenus paternitas refert substantiam patris ad filiationem, & tum illam, tum se connectit essentialiter cum filiatione, hæc eius terminus formalis esse potest, ac debet, quin argumentum factum hoc tenus obstat: siquidem ideo substantia patris refertur ad filiationem, ac tam ipsa, quam etiam paternitas connectitur essentialiter cum alia relatione in genito reperta, quia est filiatio: nam, si non esset filiatio, sed æqualitas, aut similitudo, dominatio, aut seruitus, alijsve respectus

eorum ad quos se habet illa per accidens, haudquaquam terminaret eiusmodi connexionem, relationemve: tota ergo ratio eam terminandi est filiatio.

222 Obiicies quintò: si omnis relatio tenderet in aliam velut in terminum suum, nullaque prædicatis absolutis rei sibi obiecta, atque ex aduerso respondentis esset contenta, profecto relatio in communi ita terminaretur citra dubium: quod enim conuenit per se omni inferiori, id etiam rationi communi nequit non conuenire: quo pacto, quia Petrus, & Paulus, & quicumque alius homo est animal rationale, homo in communi animalis rationalis eo ipso sortitur conceptum: est relatio in communi non terminatur alia relatione: ergo nec omnis in particulari: Minor (haud enim cætera egent probatione) suadet: quia alias relatio in communi, & relatio eam terminans distinguerentur realiter, ac simul essent indistinctæ: hoc posterius videtur perspicuum: nam communis conceptus relationis cohibet omnem relationem: nulla ergo potest extra eam esse, ab eade distingui, aut è conuerso: prius etiam: quia terminus relationis nequit non ab ea distingui, aliudue ab ea esse, siquidem relatio est cuius totum esse est esse ad aliud: ea autem particula, aliud, denotat terminum relationis, vt per se patet, vtque omnibus est in confesso.

223 Respondeo: hoc argumentum magis eo tendere, vt probet non dari rationem communem relationis, quod multis placet, quam, vt suadeat relationem non terminari ad connotatiuum: quid enim? si responderetur omni relationi in particulari competere, quod terminetur alia relatione, secus tamen rationi communi relationis: non quod ea si daretur nequitiam imitaretur legem inferiorum suorum, sed quod nulla sit possibilis, propter incommodum, videlicet in argumento obiectum. Rursus secundò: terminus relationis haud debet esse ab ea distinctus, sed à fundamento solo, haud esse ad aliud à se, sed ab eo, quod refert, vt ostensum paulo superius: quamobrem relatio in communi, quamuis admittatur, poterit terminari per aliam relationem, quæ quidem sit aliud quodammodo iuxta relationum definitionem, non tamen à relatione vt sic, sed ab eius fundamento: vnde contradictio, quam inferre conatur argumentum, haud sequitur, quantumvis sequi videatur. Tandem finge, terminum relationis ab ea distingui etiam adæquate: Certè contendere quis potuit id intelligendum esse, non de omni termino, sed de solo absoluto, atque hunc tantum denotari per voculam, aliud, cum definitur relatio in communi: quid est ergo quapropter hæc non possit terminari alia relatione, haud enim metus est, ne si ita terminetur simul sit distincta, & indistincta ab alia relatione, quando non definitur quidem in ordine ad aliam, sed duntaxat ad quidpiam absolutum: Verum de hoc infra.

224 Obiicies sextò: si terminus vnus relationis, quæ ea cumque sit alia sit relatio, paternitatis v.g. filiatio, & è conuerso, altera sanè per alteram est definienda, cum par, & solemne etiam sit quantum rem definiri per id, quod respicit essentialiter vel vt terminum, & cum quo connectitur suapte natura: quo quidem nomine homo per sensationes definitur, ac discursiones, candor eius per disgregationem visus, &c. Iam ergo definiendus est pater, qui habet filium, & filius, qui habet patrem; adeoque sequentur incommoda aduersus alios à nobis superius illata. Quid alij huic argumento respondeant, ipsi consulant: mihi qui geminum cuiuscumque relationis terminum esse puto, nullam

nullam illud difficultatem facit: dico enim, relationem omne definiendum esse per terminum suum, cum quo connectitur essentialiter; at non per omnem terminum, sed per aliquem, non per connotativum, sed per absolutum: quo posito nullum sequitur incommodum, ut intuenti clarebit.

225 Quid? quod ad summum eo convincitur argumento, unam relationem definiri per aliam ex parte, & non ex toto; ut si dicatur: pater est, qui filium quoad eius substantiam genuit; filius è contrario, qui patrem habet à quo eius substantia sit genita. Hunc autem definiendi modum haud esse absurdum, absque omnino probabile est: quantumvis multo probabilius sit, eum vndeque exactum non esse ad leges dialecticæ: ut enim ex eo non sequatur rem totam inexplicatam manere, nec idem per seipsum præcisè explicari, nec circulum vitiosum peragi; quæ tamen incommoda non possunt defugere, qui relationem omnem alia duntaxat terminari censent: at certe sequitur aliquid repeti in definitione sine vlla necessitate, aut operæ pretio, quandoquidem satis est ad explicandam naturam patris, quod alium genuerit hominem, quin vlla fiat mentio filiationis, atque ad explanandam essentiam filij, quod ab alio sit genitus, nulla paternitatis commemoratione facta. Verum nō improbabiler dici quoque potest, relatiuorum conditionem, specialemque genium perire, ut aliud in definitione alterius adhibeatur in obliquo, & minus principaliter; nec aliter ea bene, & accommodatè explicari: proinde haud esse prorsus vitiosam, & inutilem alterutius mentionem, cum definitur alterum.

226 Hactenus ostensum est, omnem relationem predicamentalem terminari aliquo absoluto, nec non aliquo connotativo. Sed quid dicendum de relatione transcendentali, hæc si est prorsus à predicamentali distincta? Respondeo idem: nam sicut cognitio, & amor referuntur ad obiecta, ita hæc quatenus bona, & vera è conuerso ad eos actus: item vti causa ad effectus possibiles habet ordinem, ita hi ad illam: rursus, vti actio, passio, ac cæteri modi relationem fortiuntur ad extrema absoluta; quæ afficiunt, ita etiam hæc ad eos vicissim, si minus essentialiter, & per denominationem omnino intrinsecam, at certe contingenter, & per denominationem quadantenus extrinsecam: nulla ergo harum relationum transcendentalium non connectitur cum alia: quidni ergo ad eam possit, ac debeat terminari, sicut in iis, quæ spectant ad predicamentum ad aliquid contingit. Deinde secundo: earum relationum transcendentalium, quas breuitatis causâ prætermisimus, quælibet est non mutua, saltem in eodem genere: cuiusvis ergo terminus est absolutus, & non relatiuus in eodem genere, quod satis est, ut simpliciter dicatur absolutus iuxta superius disputata semel, atque iterum: omnis ergo terminatur etiam ad quidpiam absolutum.

CAPVT XVI.

An terminus specificet relationem predicamentalem? Anue et essentialis?

227 **B** Imembrem hanc questionem expediendam aggreddior: quam tamen potuero breuissimè: tum quia vtrique eius pars magna ex parte, ne dicam ex toto, est de nomine: tum quia neutra admodum necessaria suppositis iis, quæ sunt superius disputata. Prima ergo sententia est, relationem predicamentalem

R. P. Richardi Lyncei, Philosoph. Tom. III.

lem, & quamvis aliam realem specificari à solo termino. Ita Scotus in 2. distinct. 1. quæst. 5. Deza in 2. etiam dist. 13. quæst. 1. notab. 4. Soncinas. 5. metaph. quæst. 32. Rubius in predicam. cap. 7. quæstione 6. numero 86. Secunda sententia est, relationem specificari à solo fundamento. Ita præter alios videtur censuisse B. Thomas 3. p. q. 55. art. 5. & quodlib. 1. art. 2. & quodlib. 9. art. 4.

228 Probabilius tamen arbitror, relationem semper specificari tum à fundamento, tum etiam à termino: Ita P. Suarez. disput. 47. metaph. sect. 17. num. 15. & P. Balthasar Tellez in metaph. disput. 42. sect. 6. conclus. 6. num. 28 & sequentibus. Suadetur autem, quia relatio predicamentalis, ut haud ita post constabit, constituitur in sua specie per fundamentum, simul ac terminum: ac tum hic, tum etiam illud est eius pars intrinseca realiter, ac verè; quidquid sit, an ratione ratiocinata sint ambo eam extra: Constitui autem in specie sua quidpiam est specificari: specificatur ergo relatio per extrema sua. Rursus specificari aliquid aliunde est inde fortiri distinctionem suam specificam: atqui relatio distinguitur specie à quavis alia munere fundamenti, ac termini, cum per id quælibet res distinguatur numero, ac specie ab alia quavis, per quod vno, vel altero modo constituitur in semetipsa, neque aliud sit rei cuiusvis distinctivum, quàm eius constitutivum, ut est in philosophico axioma ab eorum nomine non recepto.

229 Sed fac, relationem predicamentalem esse realiter distinctam à fundamento, & termino: aut fac, sermonem esse de relatione aliqua tantum transcendentali, de cuius distinctione ab extremis suis haud possit esse dubitatio: certè idem redit argumentum, aut certè aliud nihilominus efficax ac difficile: fieri namque nequit, ut relatio vlla respiciat terminum aliquem specie diuersum, quem non respicit alia, quin ambæ sint specificè diuersæ: alioqui erit, ut cognitio mea lapidis, eaque, qua non lapidem, sed equum considero haud sint specie diuersæ: quin etiam, ne vni immeret exemplo, erit alioqui, ut nullæ ferè scientiæ specie differant, ut ut obiecta ita differentia respiciant: relatio ergo specificatur à termino. Par ratio est fundamenti: Vni namque, si sit essentialiter illigata vna relatio, & alteri, & non priori altera, necessum est, ut ambæ ritu fundamentorum specie differant.

230 Pro sententia priori loco memorata, cui quidem prior nostræ sententiæ pars est opposita, sic oppones. Ad eundem terminum possunt, & solent esse relationes specie diuersæ. v. g. ad eundem filium paternitas, ac maternitas, ad eundem hominem similitudo, dissimilitudo, paternitas ac filiatio cum fieri possit, ut ei sit similis in ratione animalis equus, in ratione rationalis dissimilis, vel idem, vel leo aliavè bellua, eiusque pater vnus homo, & filius alter: haud ergo specificantur à termino tales relationes; alioqui, cum terminus sit vnus tantum speciei, eius etiam essent illæ, & non plurium. Respondeo, in primis relationibus prædictis respondere ex aduerso toridem terminos specie diuersos, si minus absolutos, at certe connotatiuos, ac relatiuos, paternitati scilicet, ac maternitati filiationem specie, numeroque geminam, ac multiplicem, ut supra ostensum est cap. octavo: similitudini quoque aliam similitudinem, dissimilitudini dissimilitudinem, paternitati filiationem, & filiationi paternitatem iuxta ea, quæ disseruimus nuper cap. 13. & 14. Deinde, quidquid sit, an omnis relatio terminetur ad aliam relationem, anue multiplex ad multiplicem; terminus ille absolutus